



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiæ Augustæ Scriptores VI**

Ælius Spartianus. Vulc. Gallicanus. Julius Capitolinus. Trebell. Pollio. Ælius  
Lampridius. Flavius Vopiscus

**Spartianus, Aelius**

**Lugduni Batavorum, 1671**

Ælii Spartiani Didius Julianus, Ad Diocletianum Aug.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51177)

ÆLII SPARTIANI  
DIDIUS JULIANUS,  
AD  
DIOCLETIANUM AUG.

DIDIO JULIANO, qui post Pertinacem imperium adeptus est, <sup>2</sup> proavus fuit Salvius Julianus, bis consul, præfectus urbi, <sup>3</sup> & Jurisconsultus: quod magis

SALMASIUS.

[ÆLII SPARTIANI.] Ad Spartianum tandem reversi sumus, cui hanc vitam tribuunt omnes omnino libri. sed si fides illis Excerptis toties à nobis citatis, in Spartiano semper fuimus.

Didius Severus  
Insaber Mediolanensis

Didius Severus.

Patronius Didius Severus, cui uxor,

Didius Proculus.

P. Didius Salvius JULIANVS  
Severus AVG.  
Manlia Scantilla AVG.

Didia Clara Aug.  
Cornelii Repentini uxor.

CASAVBONUS.

<sup>2</sup> Proavus fuit Salvius Julianus. ] Maternus hic proavus, non paternus Juliani Aug. cujus stemma satis perturbate descriptum hic à Spartiano, & ut censemus nos, mutilatum, oculis subjecimus ad majorem lucem.

Salv. Julian. bis Cos. I. Cæs. auctor Edicti perpetui sub Hadr. Afer Hadrumetinus.

Salvius Julianus.

Emilia Clara. Salvius Julianus.

Nummius Albinus.

Habes hic proavum paternum, cujus nullam facit isto loco mentionem Spartianus: nisi fallunt nos codices, quod nos putamus, uti mox dicemus: sed meminit idem inferius, & avi & proavi, amboque fuisse dictos Severos indicat. PETRONIVS quod patri hujus prænomen fuit, olim gentis erat nomen, non prænomen: primum siquidem exoleverat vetustiorum circa nomina observatio.

<sup>3</sup> Et jurisconsultus, quod magis eum nobilem fecit. ] Aded quidem, ut Græci scriptores nonnulli ipsum quoque appellant *ἡ νομοθέτης*: quasi fuerit hic ille celeberrimus Jurisconsultus, qui Edictum perpetuum composuit; quod & Aurelius Victor falso putavit. in scriptis mutata distinctione, hæc verba, quod m. e. n. fecit, ad matrem Juliani referebantur.

3 Et

magis eum nobilem fecit. Mater Clara Æmilia : pater Petronius Didius Severus : fratres Didius Proculus, & Nummius Albinus : avunculus Salvius Julianus : <sup>2</sup> avus paternus, <sup>1</sup> Insuber Mediolanensis : <sup>4</sup> maternus <sup>5</sup> ex Adrumentina colonia. Educatus est apud Domitiam Lucillam, matrem Marci imperatoris. <sup>6</sup> Inter viginti viros electus est suffragio matris Marci.

## GRUTERUS.

<sup>3</sup> Et jurisconsultus ; quod magis eum nobilem fecit. Ita est, sæpe plus nominis à professione litterata, quam honore maximo. Tacitus libro XII. cap. 28. Decretusque Pomponio triumphalis honos ; modica pars famæ ejus apud posteros, in quæ carminum gloria præcellit.

## CASAUBONUS.

<sup>1</sup> Nummius Albinus. ] Regius, Nummius. Rectum est Nummius. Lapis Romæ.

JOVI  
SERENO  
NUMMIUS  
ALBINUS  
EX VOTO.

Sic etiam in aliis faxis.

<sup>2</sup> Avus paternus Insuber Mediolanensis : maternus ex Adrumentina colonia. ] Avus hic maternus filius fuit Salvii Juliani qui Romæ vixit celeberrimus Hadriano imperante. quomodo igitur hujus filius Afer Hadrumetinus ? ego non concoquo. Lego vero, pro avus pat. exposito Juliani stemmate, quia erant Romæ vetustiores gentes Didia & Salvia, quarum sæpe in historiis mentio ; ne cum illis prioribus recentiores istas è quibus ortus Julianus, quisquam confunderet, primam utriusque gentis originem, & unde ac quando Romæ innotuerit, adnotat Spartianus. Salvii apud Ciceronem, Suetonium, alios leguntur multi : Didii etiam : nam ridiculè errant Græci, qui Julianum imperatorem ΔΙΔΥΜΩΝ τὸ δίδυμον nuncupatum scribunt, propter da-

Quæ tam pecuniæ vim, cum impetiam est mercatus. Georgius Monachus. Ἰουλιανὸς ὁ κληθεὶς Διδύμω, ἂν τὴν χηρῆσαι τῶν βασιλείων ἀνεπαύθη. Cedrenus, Διδύμω ἢ ἐπαύθη, ἂν τὸ ὑπὸ δίδυμον λαθεῖν τῶν βασιλείων. <sup>5</sup> Hadrumentina colonia. ] Regius, Hadrumentina. mirum est quàm rariè & Græci & Latini hoc nomen extulerint, scripserintque. observat Hermolaus è Stephano, dixisse Græcos, Ἀδρῦμηνα, & Ἀδρῦμην, alios masculino, alios foemineo genere, quosdam neutro. nota est Hebraicum, ut ex Solino docuit illustrissimus Scaliger : vide ad titum Albini. neque alia origo similium appellationum, quæ diversis locis Asia, Africa, atque etiam Europæ sunt attributa : de quibus plura alibi in his omnibus secunda syllaba promiscue per τῆς aut ἑρ scribitur.

## SALMASIUS.

<sup>3</sup> Insuber Mediolanensis. ] Palatinus & vetus editio : Insubris.

<sup>5</sup> Ex Adrumentina colonia. ] Ex Adrumetina. Pal. melius, nam Adrumetum Latinis, ut Græcis Ἀδρῦμηνα.

<sup>6</sup> Inter viginti viros electus est. ] Insubris est.

## GRUTERUS.

<sup>3</sup> Insuber Mediolanensis. ] Palatinus, Insubris.

<sup>4</sup> Maternus ex Adrumentina colonia. ] Palat. Adrumetina. nihilo pejus.

## CASAUBONUS.

<sup>6</sup> Inter viginti viros electus est. ] Fuit libera Rep. vetus consuetudo, ut populus

Quæstor ante annum quàm legitima ætas sinebat, designatus est. Ædilitatem suffragio Marci consequutus est. Prætor ejusdem suffragio fuit. Post præturam <sup>1</sup>legioni præfuit in Germania vicesimæ secundæ Primigeniæ. Inde Belgicam sanctè ac diu rexit. Ibi Cauchis, <sup>2</sup>Germaniæ populis qui Albim fluvium accolebant, erumpentibus restitit, tumultuariis auxiliis provincialium: ob quæ consulatum meruit, testi-

monio

pulus quotannis xxxvi. viros crearet, quorum munia sic postea distribuebantur. Fiebant ex illis Triumviri capitales, Triumviri monetales, Quatuorviri curatores viarum in Urbe. Decemviri stilitibus judicandis, qui hastam centumviralem cogebant, Duumviri curatores viarum extra urbem, Quatuorviri in præfecturas Campaniæ mittebantur: sed hic numerus Augusto fuit imminutus, sublaris Viocuris qui extra Urbem curabant, & Quatuorviris qui in Campaniæ præfecturas mittebantur. ita pro xxvi. fuere xx. viri solum: quos quidem non instituit Augustus, ut scribunt etiam doctissimi viri: sed eorum tantum creationem mutavit: jubens ut ex equestri ordine eligerentur; qui videntur ante soliti è liberis senatorum creati. Ita accipienda verba Dionis libro l. ubi fusc de his. meminit & Festus in voce Præfecturæ: cujus locum jam olim Jacobus Cujacius emendavit rectè in xi. Observationum. Erat vigintiviratus velut janua quæ aditum ad honores patefaceret: ad quos per diu principum quoque liberi adibant hac via. Dio libro lviii. in Claudio: τὰς χαμῶδες τότε ἐν πειρήσει ἀνδράσιν ἄρχαι, καὶ μὲν τῶν πολλοῦ ἀρχῆσιν ἐν ταῖς ἀνογαῖς ἐσθῆ- λδοσι, καὶ ὅτε ποτε πεντηετασί τῶσιν ταῖς δογαῖς αἰτήσιν σφίσι ἐπέ- τρεψε. sed hujus muneris obeundi necessitatem sæpe remittebat illis senatus. habes exemplum apud Tacitum Annalium libro tertio: ubi

Tiberius Neronem è liberis Germanici jam ingressum juventam commendans patribus, petit, ut munere capefendi vigintiviratus solveretur.

<sup>1</sup> Legioni præfuit in Germania vicesima secunda, Primigenia. ] Vetus lapis Romanus ubi insculpta legionum nomina, hanc non prætermittit. nam ibi leges, xxii. PRIM. hoc est, VICESIMA SECUNDA, PRIMIGENIA. Videtur Dio libro lv. in accuratissimo legionum Romanarum recensu, nullam hujus fecisse mentionem. Sed non ita est: neque enim poterat fieri ut tantus in Rep. vir, legionem istam aut ignoraret, aut prætermitteret. ille vero non prætermittit; diserte enim duo τὰ γμάλα εἰκοσίων nominat: quarum legionum altera in superiore Britannia castra haberet, altera in Germania superiore. ambas ait Victrices appellatas: sed eam quæ in Germania prætenderet, à paucis ita nominari. hæc est illa de qua hic Spartianus: qui vicesima secunda appellatur ad discrimen alterius illius vicesimæ quæ in lapide Rom. sic notatur: xx. VICTR. Sed de loco Dionis plura alibi sunt dicenda.

SALMASIUS.

<sup>2</sup> Germaniæ populis qui Albim fluvium accolebant. ] Codex Palatinus, Albim. Excerpta autem Spartiani, Albam. Vopiscus quoque Albam vocavit, in Probo: caesis prope quadringentis millibus, qui Romanum occupaverant solum, reliquias ultra Nicrum fluvium & Albam removit.

I Pez

monio imperatoris. Catos etiam debellavit. Inde Dalmatiam regendam accepit, eamque à confinibus hostibus vindicavit. Post Germaniam inferiorem rex. Post hoc curam alimentorum in Italia meruit.

2 Tunc factus est reus <sup>1</sup> per quendam Severum clarissimum militem, conjurationis cum Salvio contra Commodum: sed à Commodò, quia multos jam senatores occiderat, & quidem nobiles ac potentes in causis majestatis, ne tristius gravaretur, <sup>2</sup> Didius liberatus est, accusatore damnato. Absolutus, iterum ad regendam provinciam missus est. Bithyniam deinde rex: sed non ea fama qua cæteras. Fuit consul cum Pertinace, & in proconsulatu Africæ eidem successit. & semper ab eo collega est & successor appellatus: maxime eo die <sup>3</sup> quum filiam suam Julianus despondens affini suo, ad Pertinacem venisset, idque intimasset. <sup>4</sup> dixitque debita reverentia, *quia collega, & successor meus est.* Statim enim mors Pertinacis sequuta est. Quo interfecto, quum <sup>5</sup> Sulpitianus imperator in castris appellari vellet, & <sup>6</sup> Julianus cum genero <sup>7</sup> ad senatum venisset.

## CASAUBONUS.

1 Per quendam Severum clarissimum militem.] Scribo, Clarissimum. est enim proprium ejus militis nomen. sic Verissimus, Felicissimus, & alia his similia, etsi oppido rara.

2 Didius liberatus est.] Prius tamen in veterem patriam suam, Mediolanum relegatus. Dio auctor.

3 Cum filiam suam Julianus despondens affini suo.] Affinem vocat, fratris filium. Capitolinus in Pertinace.

4 Dixitque debita reverentia, quia collega & successor meus est.] Deest aliquid manifestissime. Supplendum in hanc sententiam: dixit tunc juveni Pertinax, Hunc tu observa debita reverentia, quia c. Capitolinus: adhortatus juvenem ad patris observationem adjecit, Observa collegam & successorem meum.

5 Sulpitianus imperator in castris ap-

pellari vellet.] Eo missus fuerat Sulpicianus à genero Pertinacis, ut motus pratorianorum componeret.

6 Et Julianus cum genero.] Regis, socero, at Puteani, cum genero Cornelio Repentino. quod verum esse liquet ex sequentibus.

7 Ad senatum venisset.] Imo cunctanti & inter pocula versanti, nuntius de cæde Pertinacis allatus, & suggestum ab uxore & filia consilium de capessendo imperio. Herodianus.

## GRUTERUS.

6 Julianus cum genero ad Senatum Palatinum quoque subscriptum habet ad illud genero, Cornelio Repentino, sed est à manu recentissima; manumque ab eo, qui infra id generi nomen expressum meminerat.

nisset quem indictum acceperat, quumque clausas valvas invenisset, atque illic duos tribunos reperisset, P. Florianum & Vectium Aprum, coeperunt eum hortari tribuni, ut locum arriperet: quibus quum diceret, jam alium imperatorem appellatum, retinentes eum ad praetoria castra duxerunt. Sed posteaquam in castra ventum est, quum Sulpitiano praefecto urbi, focero Pertinacis, concionante fibique imperium vindicante, Julianum e muro ingentia pollicentem nullus admitteret, primum Julianus monuit praetorianos ne eum facerent imperatorem, qui Pertinacem vindicaret: deinde scripsit in tabulis se Commodi memoriam restitutum: atque ita & admissus est & imperator appellatus: rogantibus praetorianis ne Sulpitiano aliquid noceret quod imperator esse voluisset. Tunc Julianus Flavium Genialem & Tullium Crispinum suffragiis praetorianorum praefectos praetorii fecit, stipatusque est caterva imperatoria per Maurentium, qui se antea Sulpitiano conjunxerat. Sane quum vicena quina millia militibus promississet, tricena dedit. Inde habita concione militari, vespera in senatum venit, totumque se senatui permisit: factoque senatusconsulto imperator est appellatus, & tribuniciam potestatem, jus proconsulare in patricias familias relatus, emeruit. Uxor etiam Mallia Scantilla, & filia

CASAUBONUS.

- 1 Retinentes eum ad castra praetoria duxerunt. ] Lego, venientem.
- 2 Quum vicena quina millia militibus promississet. ] Dio summam ait eandem, sed aliter exprimit. promississe enim scribit drachmarum sena millia, duccenas, & quinquagenas.
- 3 Vespera in senatum venit. ] Dio: εἰς ἑσπέρην ὡρῶς τὴν πλὴν ἀρχαίων καὶ τῶν βασιλευσίων ἠπειχθη.
- 4 Totumque se senatui permisit. ] Imponit nobis Spartianus, sive is potius scriptor quem ille sequitur: nam hoc

falsissimum esse, testis locuples Dio, etsi privatim Juliani inimicus.

5 Factoque senatusconsulto imperator est appellatus. ] Dionem obiter emendabis, & scribes: ἔτα τὴν ἀρχαίων καὶ ἐν τῇ βασιλείᾳ ἀποσταλαγῶν βεβαιωσάμενος, perperam enim vulgò ἀσταλαγῶν.

GRVTERVS.

1 Retinentes eum ad praetoria castra duxerunt. ] Melius fuisset, venientem dummodo ablandirentur mss.

Uxor

filia ejus Didia Clara, augustæ sunt appellata. Inde se ad Palatium recepit, uxore ac filia illuc vocatis, trepidis & invitis eò transeuntibus quasi jam imminens exitium præfagirent. Præfectum urbi Cornelium Repentinum, generum suum, fecit in locum Sulpitiani. Erat interea in odio populi Didius Julianus ob hoc quod creditum fuerat, emendationem temporum Commodi Pertinacis autoritate reparandam: habebaturque ita quasi Juliani consilio esset interemptus. <sup>4</sup> Etiam hi primum qui Julianum odisse cœperant, diffeminarunt, prima statim die Pertinacis cœna despecta, luxuriosum parasse convivium ostreis & altibus & piscibus adornatum: quod falsum fuisse constat. Nam Julianus tantæ parsimoniæ fuisse perhibetur, ut per triduum porcellum, per triduum leporem divideret, si quis ei fortè misisset. <sup>6</sup> sæpe autem nulla existente religione, oleribus, leguminibusque contentus, <sup>7</sup> sine carne cœnaverit. Deinde <sup>8</sup> neque cœnavit

## CASAVBONVS.

<sup>1</sup> Uxore ac filia illuc vocatis, trepidis & invitis transeuntibus. ] Etiam in hoc dissentit ab aliis, qui impulsus Julianum ab uxore & filia scribunt. Herodianus, πείθειν αὐτὸν ἢ τε γυνὴ καὶ ἡ θυγάτηρ. & Zosimus, ἰσχυροῦς ἐπαρθείς.

<sup>4</sup> Etiam hi. ] Scribe, Et jam hi.

<sup>5</sup> Quod falsum fuisse constat. ] Refellit Dionem, cujus verba sunt: ἀνῆλθεν εἰς τὸ Παλάτιον, καὶ ὄρων τὸ δεῖπνον τὸ πρὸ Περσινάκι παρασκευασμένον, πολλαὶ τε αὐτῷ κατιζέλασε, καὶ μετὰ πέντε ἡμέρας ὄθειν τι καὶ ὅπως οὐδὲν ἔδωκεν τότε ἠδυνήθη πολυήμερον, διεπίμπλατο. Herodianus eadem testatur: ἐπεὶ παρήλθεν εἰς τὴν ἀρχὴν, τευφάεισ δὲ θείας καὶ κραυγαῖαι ἐγόλασε.

<sup>6</sup> Sæpe autem nulla existente religione. ] Malim exigente. sed ferri potest, pro, cum nulla esset religio. abutuntur

enim scriptores verbo existere. hoc autem addit, quia religionis causa sæpe abstinebant carnibus, & oleribus se leguminibusque oblectabant. Lege quantum Porphyrii Περὶ Σοφ. 25.

## GRUTERUS.

<sup>2</sup> Quasi jam imminens exitum præfagirent. ] De hac animarum divinatione, multa accumulavimus ad Iulium Livii libro xxv. cap. 35. Ad Romanos nondam quidem fama tanta clausa pervenerat, sed tamen magnum quoddam silentium erat, & tacita divinitus quasi jam præfagientibus animis imminenti tempeste esse solet.

## SALMASIUS.

<sup>3</sup> Quasi Juliani consilio esset interemptus. ] Habebaturque ita quasi Juliani consilio esset Pertinax interemptus. Pertinax cum editione Mediolanensi.

## CASAVBONVS.

<sup>7</sup> Sine carne cœnaverit. ] Idem in

Priusquam sepultus esset Pertinax, & tristissimus cibum ob ejus necem sumpsit, & primam noctem vigiliis continuavit, de tanta necessitate sollicitus. Ubi 4 verò primum illuxit, senatum & equestrem ordinem in Palatium venientem admisit, 1 atque unumquemque, ut erat ætas, vel patrem vel filium, vel parentem affatus blandissime est. Sed populus in Rostris atque ante curiam, ingentibus eum convitiis laceſſebat, sperans deponi ab eo posse imperium quod milites dederant. 2 Lapidationem quoque fecere: descendentem cum militibus & senatu in Curiam diras imprecati sunt: 3 rem divinam facienti ne litaret optarunt. Lapidem etiam in eum jecerunt, quum Julianus manu eos semper placare cuperet. Ingressus autem curiam, 4 placide & prudenter verba fecit. Egit gratias quod esset ascitus, quod & ipse & uxor & filia ejus Augustorum nomen acceperunt. Patris patriæ quoque nomen recepit: argenteam statuam respuit. 5 E senatu in

Capi-

Severo: cibi parcissimus, leguminis patrii avidus, vini aliquando cupidus, carnis frequenter ignavus.

8 Neque cenavit priusquam sepultus esset Pertinax. ] Evertit Dionis illa, ἵνδοι ἐπὶ Στρατῆρῶν κερδῶν. confer & cætera.

1 Atque unumquemque, ut erat ætas. ] Dio, ἀποστέλλει πρὸς καὶ ἀποστέλλει ἀπὸ τῶν πατρῶν. & in eam sententiam plura. Sed Spartianus humanitati ac civilitati ascribit, quod verius Dio blanditiis & assentationi, & ut ipse ait, ἀνεπίτῳ ἡσπείω.

2 Lapidationem quoque fecere. ] Meminit harum lapidationum & in Pescennio Nigro Spartianus.

3 Rem divinam facienti. ] Οὐτε τοῦ εὐσπείου ἀπὸ Στρατῆρῶν ἔθεν.

4 Placide & prudenter verba fecit. ] Extat apud Dionem insulsiſſima & impudentissima oratio quam in senatu habuit Julianus. sed non est illa oratio, quam intelligit hic Spar-

tianus: nam hæc secundo senatu habita postridie quàm imperium occupasset; illa primo senatu cum in Curiam è Castris venisset.

5 E senatu in Capitolium pergenti. ] Ita fuit moris. Capitolinus in Maximo & Balbino; Egressi à senatu primum Capitolium ascenderunt, ac rem divinam fecerunt.

GRVTERVS.

1 Atque unumquemque, ut erat ætas, vel patrem, vel filium, vel parentem affatus blandissime est. ] Nullam video differentiam inter patrem & parentem; multo minus tales differre ætate. itaque persuadeor, vel contra miserescribendum, vel fratrem, vel filium, vel parentem. sic supra in Marco Antonino Philosopho cap. xviii. p. Cum igitur in amore omnium imperasset, atque ab aliis, modo frater, modo pater, modo filius, ut cujusque ætas sinebat, & diceretur & amaretur.

Q O

I R



Capitolium pergenti populus obstitit, sed ferro & vulneribus & pollicitationibus aureorum quos digitis ostendebat, ipse Julianus (ut fidem faceret) summotus atque depulsus est: inde ad circense spectaculum i-

## CASAUBONVS.

1 Et pollicitationibus aureorum, quos digitis ostendebat. ] Non ipsos fortasse, sed eorum numerum: nam ita sæpe factitatum legimus. Et inclinatio- ne imperii digitis pretium intendisse Julianum scribit Dio. sic enim illa accipienda: *Φανή μέγα βοῶν, καὶ τοῖς χερσὶν ἐνδείκνυμι*. Digitis numeros expressisse veteres etiam maximos, & pueri sciunt. Si quis malit ipsos aureos fuisse ostentatos, non repugnabo: imo vero, propter illa verba, ut fidem faceret, lubens assentiar. Distinguendum autem, & pollicitationibus aureorum quos digitis ostendebat ipse Julianus, ut fidem faceret, summotus atque d. e. Dio hic simpliciter, *Ἐργασίον η αὐτοῖς ὑπέχετο*.

3 Inde ad circense spectaculum iuum est. ] Spectaculum est *ἴμα*. quo tamen modo si hic accipias, erres ridicule. nihil enim aliud circense spectaculum hoc loco, nisi Circus ipse, & locus spectaculorum. melius Dio, *συνέδραμον ἐς τὴν ἰσπόδρον*, & Herodianus, cuius notatu digna verba: *ἐς τὴν ἰσπόδρον, ὅπερ μάλιστα τὸ πᾶν συνίον ἐκκλησιάζει, τὴν Ἰσλιων ἐβλασφύμεν*. Ait in Circo maxime solitum populum ἐκκλησιάζειν, hoc est per tumultum convenire, & suæ voluntatis significationem dare. nam si accipias id verbum, sicut passim apud Græcos, cum dicitur populus Atheniensis, vel alius è Græcis, in theatro ἐκκλησιάζειν, falsa sententia: nullum enim jus habuit pop. Rom. conveniendi in circum, ut de re publica deliberaret: sed spoliati jure conventus habendi in Comitio, in circis & theatris, turbatis rebus, congredebantur. Mixtum vero quod scribit Dio, mansisse

populum in Circo diem noctemque integram cibo potuque neglecto, donec fames tandem inde exire compulit.

## SALMASIUS.

2 Quos digitis ostendebat ipse Julianus. ] Distingue: sed ferro & vulneribus & pollicitationibus aureorum, quos digitis ostendebat ipse Julianus ut fidem faceret, summotus atque depulsus est. utrum ipsos aureos ostentavit & manibus eos tenuerit, an numerum aureorum solummodo per digitos in notam numerariam formatos significavit, incertum est. placet magis ut de aureorum numero, quos populo datus erat, digitis ostentato accipiamus. cuius rei exemplum apud Dionem in Marco: ubi *χερσὶν ἐπέδειξεν ἕξαθαι* vocat, quod Spartianus digitis ostentare. *ἔλθων δὲ ἐς τὸν Ἰμω καὶ πρὸς τὸν δήμον ἀπαγγέλλων*. ἐπεὶ δὲ μέγα ἐχέουσι αὐτὸν καὶ ἄλλα καὶ ὅτι πολλοὶς ἐπιστολὴν ἀποπέμψας εἶη, ἀπεδοχέων ὀπίω. καὶ τὸν καὶ τοῖς χερσὶν, ἵνα δὲ ἡ χροῖα πύστος ἐς τὸ δειπνον λαβῶσιν, αὐτὸν ἐδείξαι. alibi idem Dio *χερσὶν ἐπέδειξεν ἕξαθαι* dixit, ubi narrat quomodo licitatus sit imperium Julianus.

3 Inde ad circense spectaculum iuum est. ] Durum est heic accipere circense spectaculum pro circo. hoc si voluisset dicere Spartianus, nonne erat in proclivi dicere, inde in circulo iuum est? quid igitur si aliter accepit, & populum in circum venisse spectandi gratia intellexit? id sane omnino & illa sequentia verba declarant: sed occupatis indifferenter omnium subsellis, populus geminavit convicia in Julianum. quo enim hanc observationem de occupatis omnium subsellis in differeret a populo,

tum est. Sed occupatis indifferenter omnium subfel-  
 liis, populus geminavit convitia in Julianum : Pescen-  
 nium Nigrum, qui jam imperare dicebatur, ad urbis  
 præsidium vocavit. Hæc omnia Julianus placide tu-  
 lit, totoque imperii sui tempore mitissimus fuit : po-  
 pulus autem in milites vehementissime invehebatur,  
 qui ob pecuniam Pertinacem occidissent. <sup>1</sup> Multa igitur  
 quæ Commodus statuerat, Pertinax tulerat, ad  
 conciliandum favorem populi, restituit. De ipso Pertina-  
 nace neque male neque bene quicquam egit : <sup>2</sup> quod  
 gravissimum plurimis visum est. Constituit propter  
 metum militum <sup>3</sup> de honore Pertinacis tacitum esse.  
 Et Julianus quidem neque Britannicos exercitus, ne-  
 que Illyricos timebat : Nigrum vero <sup>4</sup> misso primi-  
 pilario

populo, si populus non spectandi  
 gratia eo convenerat? iterum dico,  
 neutiquam mihi placet Circense spe-  
 ctaculum heic accipi pro loco ubi  
 eduntur spectacula ac pro circo ipso.  
 tora hac Juliani vita cum multis locis  
 dissentiat Spartianus ab auctoribus  
 Græcis Dione & Herodiano, possit  
 & hoc loco dissentire & male accep-  
 disse verba Græci auctoris à quo accep-  
 sit, aut alios denique sequutus esse  
 auctores.

CASAUBONUS.

<sup>1</sup> Multa igitur quæ Commodus statue-  
 rat, Pertinax tulerat, ad conciliandum  
 favorem populi, restituit. ] Cave accipe-  
 re vocem populi, in propria notione,  
 hoc est, pro universo pop. Rom. ple-  
 bem enim hic, & è populo vilissi-  
 mum quemque ac perditissimum  
 significat. Populus quidem institu-  
 tam à Pertinace publicorum morum  
 emendationem probavit, eoque no-  
 mine defunctum illum desideravit.  
 paullo ante, Erat in odio populi Julianus,  
 ob hoc quod creditum fuerat, emendationem  
 temporum Commodi Pertinacis auctoritate  
 reparandam. sic in Pertinace Capito-  
 linus, Populus mortem ejus indignissime  
 tulit, quia videbat omnia per eum antiqua  
 posse restitui.

<sup>2</sup> Quod gravissimum plurimis visum  
 est. ] Erat enim moris, ut novi prin-  
 cipes de honoribus defunctorum im-  
 peratorum relationem statim face-  
 rent. Capitolinus in Maximo & Bal-  
 bino; Prima relatio principum fuit, ut  
 duo Gordiani divi appellarentur. Scibe  
 deinde, Constitit autem propter metum  
 militum, &c.

<sup>4</sup> Misso primipilario occidi præceperat. ]  
 Sic & scripti, non ut aliquis malit,  
 primipilari. atque ita iterum in Pe-  
 scennio.

SALMASIUS.

<sup>3</sup> De honore Pertinacis tacitum esse. ]  
 Palatinus : tacitum est. quam lectio-  
 nem si sequimur, aliter fuerit distin-  
 guendum in superioribus, & legen-  
 dum hoc modo: de ipso Pertinace ne-  
 que bene neque male quicquam egit. quod  
 gravissimum plurimis visum esse constat,  
 (vel etiam, constitit.) Propter metum mi-  
 litum de honore Pertinacis tacitum est. vel  
 sane ita: constitit quod propter metum mi-  
 litum de honore Pertinacis tacitum est.  
 quomodo sæpe loquuntur isti scri-  
 ptiores. & hoc probro.

GRUTERUS.

<sup>4</sup> Misso primipilario. ] Sic & ms.  
 Pal. non primipilari.

O O 2

I Quæ

pilario occidi præceperat, timens præcipue Syriaco exercitus. Ergo Pescennius Niger in Syria, Septimius Severus in Illyrico, cum exercitibus quibus præfidebant à Juliano descivere. Sed quum ei nuntiatum esset Severum descivisse, <sup>1</sup> quem suspectum non habuerat, <sup>2</sup> perturbatus ad senatum venit, <sup>3</sup> impetravitque ut hostis Severus renuntiaretur: militibus etiam qui Severum sequuti fuerant, dies præstitutus, ultra quem cum Severo fuissent, hostium numero haberentur. Missi sunt præterea legati consulares à senatu ad milites, qui suaderent ut Severus repudiaretur, <sup>4</sup> & is esset imperator quem senatus elegerat. Inter cæteros <sup>5</sup> legatus est <sup>6</sup> Vespronius Candidus, vetus consularis, olim militibus invisus ob durum & fordidum imperium. Missus est successor Severo Valerius Catulinus: quasi posset ei succedi qui militem jam sibi tenebat. Missus præterea Aquilius centurio, <sup>7</sup> notus cædibus senatori-

## CASAUBONUS.

<sup>1</sup> *Quem suspectum non habuerat, perturbatus ad s.]* Regius vocem inserit, haut scio quanti pretii: humaniter perturbatus est & a.

<sup>3</sup> *Impetravitque ut hostis Severus renuntiaretur.]* Regius, imperavitque. non multum diverso sensu. & impetravit autem & impetravit. Dio, πολέμιον τὸ Σεπτημίου διὰ τὸ βεβλήσ ἐποίησεν.

<sup>4</sup> *Is esset imperator quem senatus eligeret.]* Reg. is esset in Rep. quem s. in eodem est eligeret. sed melius priores editiones, elegerat. de se enim locutus Julianus.

<sup>6</sup> *Vespronius Candidus, vetus consularis.]* R. Vesprimius Candidus Verus conf. Fortasse scripserat, Vespronius Candidus Verus, vetus conf. Vespronii Candidi hujusce, vel ejus patris aut avi & in Fastis mentio, & in alia historia, atque etiam apud Tertullianum. Veri cognomen eruditissimus quoque Onuphrius agnoscit, de consulibus differens anni 1000 CCLXXIX. & alibi.

## SALMASIUS.

<sup>2</sup> *Perturbatus ad senatum venit.]* De latinis: perturbatus est. lege sed quum ei nuntiatum esset Severum descivisse, quem suspectum non habuerat, perturbatus est & ad senatum venit, impetravitque ut hostis Severus renuntiaretur.

<sup>4</sup> *Et is esset imperator quem senatus eligeret.]* Idem liber: quem senatus elegerat. melius. non enim de eligendo imperatore agi volebat Julianus, sed de eo tenendo tuendoque qui erat jam electus. nam factio Senatorum consulto appellatum fuisse Julianum imperatorem scripsit supra Spartianus.

## GRUTERUS.

<sup>4</sup> *Is esset imperator quem senatus elegerat.]* Ita quoque Palat. non ut recentiores editi, eligeret.

<sup>5</sup> *Legatus est Vespronius Candidus Consularis.]* Sic nulla littera minus Palat. noster.

## CASAUBONUS.

<sup>7</sup> *Notus cædibus senatori.]* Spartianus in Severo; cum jam ante missus

riis, qui Severum occideret. <sup>1</sup> Ipse autem Julianus prætorianos in Campum deduci jubet, muniri turres : sed milites defides & urbana luxuria dissolutos, invitissimos ad exercitium militare produxit, <sup>2</sup> ita ut vicarios operis quod unicuique præscribatur, mercede conducerent. Et Severus quidem ad urbem infesto agmine veniebat : sed Didius Julianus nihil cum exercitu prætoriano proficiebat, quem quotidie populus & magis oderat & ridebat. <sup>3</sup> Sed Julianus sperans Lætum fautorem Severi, quum per eum Commodi manus evassisset, ingratus tanto beneficio, <sup>4</sup> jussit eum occidi. <sup>5</sup> jussit etiam Martiam interfici. <sup>6</sup> Sed dum hæc egit Julianus, Severus <sup>7</sup> classem Ravennatem occupat : legati senatus qui Juliano promiserant operam suam, ad Severum transierunt. Tullius Crispinus præfectus prætorio, contra Severum missus ut classem produceret, repulsus Romam rediit. Hæc quum Julianus vide-

notos ducum interfectores quosdam qui Severum occiderent. mox, causatusque est, quod ad se occidendum Julianus notos ducum cadibus misisset. idem in Nigro: Aquilium centurionem, notum cadibus ducum miserat, quasi imperator tantus a centurione posset occidi. Sic loquitur & Vopiscus in Aureliano: libri Sibyllini tui beneficiis publicis inspecti sunt.

<sup>1</sup> Ipse autem Julianus prætorianos in campum deduci jubet. ] Exercendi gratia. Herodianus, τότε δὴ πάντα ἢ πόλις ὅπλα εἰργάζετο, καὶ τὰ πρὸς πόλιν περιεσκέδαζε. plura Dio.

<sup>3</sup> Sed Julianus sperans Lætum fautorem Severi. ] Sperare pro opinari, δοκεῖν, passim apud recentioris Latinitatis scriptores, interdum etiam pro metuens.

<sup>4</sup> Jussit eum occidi. ] Alius est Julius Lætus ille cujus multa mentio in sequentium temporum rebus. nam hic & jussus est occidi, & occisus. Dio, εἰσφαξε τὸ Λαῦτον.

<sup>5</sup> Jussit etiam Martiam interfici. ]

Male veteres, Marcianum. Dio, εἰσφαξε καὶ τὸ Μαρκίανον.

<sup>6</sup> Sed dum hæc egit Julianus. ] Scribere agit. ita & codd.

<sup>7</sup> Classem Ravennatem occupat. ] Et classem & urbem. Dio, τὴν Ραβένναν ἀνεγνῆτι περιέλαβε. Notæ sunt classes Ravennas & Misenas.

GRUTERUS.

<sup>2</sup> Ita ut vicarios operis quod unicuique præscribatur, mercede conducerent. ] Simile huic illud quod legitur apud Valerium Maximum lib. ix. capite primo: Ægyptiæ gentis populus ducta Archelai adversus Aulum Gabinium moenibus urbis egressus, cum castra vallo atque fossa cingere juberetur, universus succlamavit, ut id opus publica pecunia faciendum locaretur, &c. Verum nos, de hac corporum animorumque desidia, ad Tacitum lib. xii. Annal. cap. 35, p. lib. ii. Hist. cap. 21. f.

<sup>6</sup> Sed dum hæc agit Julianus. ] Ita scripti aliorum, editi hæctenus, agit.

videret, senatum rogavit ut virgines Vestales & cæteri sacerdotes cum senatu obviam exercitui Severi prodirent, & prætentis infulis rogarent: <sup>1</sup> inane contra barbaros milites præsidium parans. Hæc tamen agentis Juliano <sup>2</sup> Faustus Quintillus consularis augur contradixit, asserens, non debere imperare eum qui armis adversario non posset resistere. cui multi senatores consenserunt. Quare iratus Didius, milites è castris petiit qui senatum ad obsequium cogere aut obtruncarent. Sed id consilium displicuit. Neque enim decebat ut quum senatus hostem Severum Juliani causis judicasset, eundem Julianum pateretur infectum. Quare meliore consilio ad senatum venit, petiitque ut fieret senatusconsultum de participatione imperii.

7 Quod statim factum est. Tunc omen quod sibi Julianus quum imperium acciperet fecerat, omnibus venit in mentem. Nam quum consul designatus de eo sententiam dicens, ita pronuntiasset, *Didium Julianum imperatorem appellandum esse censeo*: <sup>3</sup> Julianus suggestit, *Adde & Severum*: quod cognomentum avi & proavi sibi Julianus asciverat. Sunt tamen qui dicant <sup>4</sup> nullum fuisse Juliani consilium de obtruncando senatu, quum tanta in eum senatus contulisset. Post senatusconsultum statim Didius Julianus unum ex præfectis Tullium Crispinum misit. Ipse autem tertium fecit præfectum Veturium Macrinum, ad quem Severus literas miserat ut esset præfectus. <sup>5</sup> Sed pacem simu-

## SALMASIUS.

<sup>1</sup> Inane contra barbaros milites præsidium parans. ] Vox præsidium abest antiquis membran. nec agnoscitur à veteri editione, quæ legit, *inanem contra barbaros milites parans*. forte legendum, *inane contra barbaros milites parans*. *inane* absolute, *rem inanem*. sed vulgata tam retineo.

<sup>2</sup> Faustus Quintillus. ] Palatinus: Phanstus Quantillus. vet. ed. Faustus.

## CASAUBONUS.

<sup>3</sup> Julianus suggestit. ] Regius, *subjunxit*. lego, *subjecit*.

<sup>4</sup> Nullum fuisse Juliani consilium de obtruncando senatu. ] In Dionis lane reliquiis & Herodiano, nullum tam fævi consilii vestigium.

<sup>5</sup> Sed pacem simulatam, tentatam eadem Severi Tullio Crispino pr. ] Præcederunt eruditissimi viri Fulvii Ursini conjecturam, scribentis, *mandatumque c. etii*

simulatam tentatamque eadem Severi Tullio Crispino praefecto praetorii & populus loquutus est & Severus suspicatus. Denique hostem se Juliano Severus esse maluit quam participem, consensu militum. Severus autem statim & ad plurimos Romam scripsit, & occulte misit edicta quae proposita sunt. Fuit praeterea in Juliano haec amentia, ut per magos pleraque faceret. <sup>1</sup> quibus putaret vel odium populi deliniri, <sup>2</sup> vel militum arma compefci. <sup>3</sup> Nam & quasdam non

con-

est potest & altera lectio defendi.

SALMASIUS.

<sup>1</sup> Sed pacem simulatam, tentatamque eadem.] Palatinus: Sed pacem simulatam esse tantamque eadem Severi Tullio Crispino: nec aliter verus editio. ex qua scriptura nihil aliud elicio, quam quod Ursino olim elicium: sed pacem simulatam esse, mandatamque eadem, &c.

GRUTERUS.

<sup>1</sup> Sed pacem simulatam tentatamque eadem Severi.] Palatinus simulatam essentamque eadem Severi, quomodo & edd. veteres: ut forte fuerit, simulatam agitatumque: aut, simulatam meditatamque. aut, mandatamque, uti placebat amico nostro Fulvio Ursino.

CASAUBONUS.

<sup>1</sup> Quibus putaret odium populi deliniri.] Exemplo videlicet ab amantibus petito: notae sunt artes Φιλτρων conficiendorum: de quibus multa Graeci passim & Latini. Martyrologium Graecum in Hilarione, de amatore quodam puellae Christianae & caetera: *μεγαλεις εαυτον ενδιδωσει πικραις. Πιταλα χαλκω ζινον) κη μερφα πρις δαιμονων εν αυτοις αφυλυφοι), κη νημεσι δεσμευ) λεπτοις. επειτα κη ρημοι) πνα ρηνη κη εχρασττοι), ερωσι κησ ως αυτος ενθ, ποιεντα, κων πινυ μισερμοι) τε κη δαπερρ) η. κη εωι) κη*

*πεις Φλαυς λαδρα) ε οικιας ηγεροπτον) ε παρθεν. αυτιγα γεν δαλμων πρις ε Φιληδωνων εφάλλε) εωτη, κη αμω ηλισηε) τω ερωι) ε παιδος.*

<sup>2</sup> Vel militum arma compefci.] Meminerat Julianus agitadores Circensium factionum his artibus solitos sibi parare victoriam: qua de re multa diceremus, aliis indicta qui de hoc argumento scripserunt, nisi brevitati consuleremus. Sed & in feriis pugnis, magicis sacris adversus hostes qui uterentur fuere praeter Julianum & alii. Vopiscus in Aureliano, cum de summo timore dixisset propter Marcomannos: *Libri Sibyllini inspecti sunt, inventumque ut in certis locis sacrificia fierent, quae Barbari transire non possent. & postea; nisi divina ope pest inspectionem librorum, sacrificiorumque curas, monstris quibusdam speciebusque divinis impliciti essent Barbari, Romana victoria non fuisset.*

<sup>3</sup> Nam & quasdam non convenientes Romanis sacris hostias immolaverunt.] Pueros multos macnavit. Dio, *εκτεινε η κη) παιδων συχνης επι μαρτυρομωσιν, ως κη) απεπρεψα) η εμαλλοντων, ει παρμαθοι αυτω δωηστω μω).* Lege autem Hadriani humana sacrificia fuisse vetita, supra dicebamus ex Porphyrio.

SALMASIUS.

<sup>1</sup> Quibus putaret vel odium populi deliniri.] Putaret pro putaret, Palatinus & v. ed. perpetam.

convenientes Romanis sacris hostias immolaverunt, & carmina profana incantaverunt, & ea quæ ad speculum

## CASAUBONUS.

[I Carmina profana incantaverunt.] Magicas ἑταρὰς vocat carmina profana: ut Romanis sacris non convenientia, sed Barbaricis.

2 Et ea quæ ad speculum dicunt fieri, in quo pueri præligatis oculis incantatio veritæ respicere dicuntur.] Regius, ea quæ dicunt ad speculum fieri, in eodem, puer, non pueri, quia sequitur, puer vidisse dicitur, sed melius pueri, ob sequens verbum dicuntur. Pro respicere, ἐνοπιομαρτυρίας observo apud antiquos species diversas: nam & σάξα Thesalæ quibus frequens cum luna commercium, ad divinationes suas speculo usæ, in quo literas sanguine inscribent, responsa ipsarum continentes: has legebant qui consuluerant, non in speculo, sed in orbe lunæ. id enim carminibus suis se præstare jactabant: esseque id Pythagoræ inventum. Veteres grammatici: φασὶ τὴν ἀπὸ τῆς τοιαύτης δυνεὸς διὰ κητόπρω κητοπρω τῆς θεῶν. ἐστὶ δὲ Ἐπιθαλάσσης παιγνίου διὰ τῆς τοιαύτης κητοπρω. Προσελλῶν τὴν σελλῶν ἕως εἰς ἐσοπρω ἐπιθαλάσσης αἰμαλι ὅσα βάλει, ἢ ἀποφῶν ἐτέρω σελῆ κητοπρω αὐτῆ, δίκυς ἀπὸς τῆς σελλῶν τῆς γεραμῶν, καὶ κητοπρω ἀπὸς τῆς σελλῶν ὅσα βάλει, ἢ ἀποφῶν ἐτέρω σελῆ κητοπρω γεραμῶν, οἷς ἐπὶ τῆς σελλῶν γεραμῶν. hæc illi ad comici verbum è Nebulis,

ὡς ἀπὸ κητοπρω, καὶ τὰ κητοπρω ἐξου.

ubi alludit poeta ad Thesalarum specula. fortasse & Terrullianus De resurrectione carnis capite xxi. specula lunæ ipsum lunæ orbem appellans: Redornantur & specula lunæ, quæ mensuris numeris attriverat. Alius modus κητοπρωματίας est, cujus

hic Spartianus meminit; cum præter speculum adhibebant & puerum ad κητοπρωματίας sua. multa de hujusmodi pueris Apuleius in Apologia. Quot autem genera sunt corporum quæ imagines referunt, tot ferre & ἐσοπρωματίας species & nomina. reddunt autem imagines lunæ via fere omnia, ac tersa & perpolita, item aqua. itaque potes ad hanc referre cum ὁδροματίας, λευκοματίας, χρυσοματίας, ἰασοματίας, ξιφοματίας: tum similes alias, quarum mentionem apud veteres reperimus. Johannes Salisberienus De vestigiis philosophorum libro primo capite xxi. Specularios vocant, qui in corporibus leuigatis & tersis, ut sunt iocardi enses, pelves, cyathi, speculorumque diversa genera, divinantes, curiosi consultationibus satisfaciunt. Apuleius, ut mihi apud Varroem philosophum, cum accuratissime doctum atque eruditum, dicit alia hujusmodi, tum hoc etiam legit: Trallibus de eventu Mithridatici belli magica percontatione consultationibus, puerum in aqua simulacrum Mercurii circumspicentem, quæ futura erant centum sexaginta annis occisisset. habes hic κητοπρωματίας: sed in qua pro speculo est aqua. Neque solum ad futurorum præscientiam hæc faciebant; verum etiam in adversis præsidium inde sibi petebant: quo videtur potius spectasse Julianus. Miratus sum petrepe antiquissimum monachum Hilarionem, conclamatissimæ virtutis virum, cum in Christi nomine miraculum esset editurus, curiosorum hominum artes hoc genus esse perlatum. historiam narrat Hieronymus: eadem in Græcorum martyrologiis fusè descripta: unde hæc pauca hic descripsimus. ὁ δὲ Δαδελῶν τὴν παρῶν δυνστητῆς, ἰδὲ τὸ γδ ἢ αὐτοὶ, μὴ ἀεὶ δὲν ἐστὶν ἔργον τῆς Ἰουλιανῆς, (Christianus hic

culum dicunt fieri, in quo pueri praeligatis oculis  
 'incantato vertice respicere dicuntur, Julianus fecit.  
 Tuncque puer vidisse dicitur & adventum Severi &  
 Juliani decessionem. Et Crispinus quidem quum 8  
 occurrisset præcursoribus Severi, Julio Læto auto-  
 re à Severo interemptus est. \* Dejecta sunt etiam ea  
 consulta è senatu. Julianus convocato senatu, quæsi-  
 tisque sententiis quid factò opus esset, certi nihil com-  
 perit à senatu : sed postea sponte sua gladiatores Ca-  
 puz jussit armari per Lollianum Titianum, & Clau-  
 dium

erat, qui in ludicro Circensi victus à  
 contraria factione, non equorum  
 virtute, sed magicis artibus, opem  
 abtilatione flens petierat : ) πλη-  
 ρύων κελόει τὸ ποτήριον ὕδατος,  
 ὃ ἡ πίνη αὐτῷ συνέθετο· ὄψακκ δὲ  
 ἡ· κ' εἰς χεῖρας τῶν Ἰαλικῶν ἐντε-  
 τλάω. τῆτο λαῶν ἐκείνη, ὅμῃ  
 τῆς π' ἰσπυρ κ' τ' ἰσπύνα, κρη δὲ  
 ἔ αὐτῆς μὲν τ' ἀρμάτων τῆς ἰσίοχης  
 εὐοπίστῃ καθαρώς ἐν τῷ ὕδατι.  
 εἰδὲ μὲν δὲ πίντες ἦσαν γρητεία τ'  
 ἐνυκίων. τῆτο ἰδὼν κ' ἦεν χεῖρα ο-  
 μολογοῦσι ἔ Ἰλαρίωνι, αὐπικα μ' εἰς  
 τ' οἶκον ἐπαυκίη λαῶν ἔ ἐκείνη  
 ἔ ὕδατος, ἔ ἐν τῷ ποτήριον ἰσ-  
 πυρ πεπὸ ἡμῶν εἶδε, ἀγαθῶν δὲ  
 πύλα· εἶπε κρη τῶν σεβασμῶν ἔ  
 εανὸν τῶν ἐπισφραγίδι κρη ἀπ'  
 ἐκείνης μετὰ αὐτῆς μ' ἐπὶ τ' Ἰαλικῶν  
 ἡ νίκη αὐτῶν κ' λαμβάνη τῆς ἀν-  
 ἡπάλης ἐχάτη. quis neget κρη το-  
 πογραμῶν τῆς his verbis describi il-  
 lam speciem, quæ cum aqua & cya-  
 tho peragebatur? Diversi planè ge-  
 neris ἡμετέροισιν ἀπ' κρητόπ' ἰρων  
 sunt illæ quarum meminit Johannes  
 grammaticus primo commentario in  
 Anstotelis Meteorologica.

SALMASIUS.

1 Incantato vertice.] Incantando ver-  
 tice, Mediolanensis editio, ut puto,  
 mendose.

2 Julio Læto auctore Severo interem-

ptus est.] Lege: Julio Læto auctore à Se-  
 vero interemptus est. ex Pal. & v. ed.

4 Dejecta sunt etiam ea consulta è se-  
 natu.] Facile est videre manum huic  
 loco correctores admovisse. quid e-  
 nim est, deicere consulta è senatu? Vetus  
 Palatinus præfert: dejecta sunt etiam è  
 senatu: ex quo vet. ed. correctorem  
 jam experta, dejecta sunt etiam è senatu.  
 qua modestia corrigendi non con-  
 tenti recentiores, addiderunt, ea con-  
 sulta. atqui nihil aliud in veteri le-  
 ctione mutatum oportuit, quam e in  
 c. dejecta sunt etiam c. senatus. hoc est,  
 dejecta sunt etiam consulta senatus.  
 senatus nempe consulta quæ in favo-  
 rem Juliani erant facta, dejecta sunt  
 & pro nihilo habita.

GRUTERUS.

2 Julio Læto auctore, Severo interem-  
 ptus.] Palatin. stat à vulgatis, habet-  
 que à Severo.

4 Dejecta sunt etiam ea consulta è Sena-  
 tu.] Maluissimè etiam consulta Senatus.  
 certe aliquid compendiosè scriptum  
 fuisse prodit Palatinus, in quo tan-  
 tum est, dejecta sunt etiam è Senatu.

CASAVBONVS.

3 Severo interemptus est.] Ita scripti,  
 pro à Severo.

4 Dejecta sunt etiam ea consulta è se-  
 natu.] Regius, ea consulta senatus.

5 Claudium Pompejanum è Tarraci-  
 nensi.] Reg. & Arracinensi. an pro,



dium Pompejanum <sup>1</sup> è Tarracinensi <sup>2</sup> ad principatum evocavit, quod & gener imperatoris fuisset & diu militibus præfuisset. Sed hoc ille recusavit, <sup>3</sup> senem se & debilem luminibus respondens. Transierant & ex Umbria milites ad Severum : & præmiserat quidem literas Severus, quibus jubebat <sup>4</sup> interfectores Pertinacis servari. Brevi autem desertus est ab omnibus Julianus, & remansit in Palatio cum uno de præfectis suis Geniali & genero Repentino. Actum est denique ut Juliano senatus autoritate abrogaretur imperium, & abrogatum est, appellatusque statim Severus imperator, quum fingeretur quod veneno se absumpsisset Julianus : <sup>5</sup> missi tamen à senatu quorum cura per militem gregarium in Palatio idem Julianus occisus est, <sup>6</sup> fidem Cæsaris implorans, hoc est Severi. Filiam suam potitus imperio, dato patrimonio emancipavit.

ex *Aracinenfi* ? intelligit autem secesum Tarracinensem, ubi tædio Commodianorum temporum Claudius Pompejanus vitam agebat. *ἐν γὰρ τοῖς ἀρχαίοις τὸ πλεῖστον διήρθη*, ait Dio. ex quo tamen constat, fuisse in Urbe Pompejanum cum Pertinax factus est imperator. narrat enim tum primum sibi illum visum, & ultimum.

## GRUTERUS.

<sup>1</sup> *È Tarracinensi.* ] Etiam Palatinus noster consentit cum Regio codice, habetque *Aracinenfi*. nihil tamen mutatum iverim.

<sup>2</sup> *Ad principatum evocavit.* ] Sic & recte Palatinus. nam ad principatum, quod erat in vulgatis, heic consiliter non potest. partiario enim imperio eum honestatum volebat Julianus, non etiam integro.

## CASAVBONUS.

<sup>2</sup> *Ad principatum evocavit.* ] Puteani liber, *participatum*. nempe imperii. quæ locutio non infrequens in his libris.

<sup>3</sup> *Senem se & debilem luminibus respondens.* ] Xiphilinus, τὸ γῆρας καὶ τὸ ὀφθαλμῶν νόσημα ἀσθενήματα.

<sup>4</sup> *Interfectores Pertinacis servari.* ] Comprehendi & in vinculis servari.

<sup>5</sup> *Missi tamen à senatu.* ] Missus est tribunus militum, cui cædes mandata.

<sup>6</sup> *Fidem Cæsaris implorans, hoc est Severi.* ] Cæsarem appellat Severum: quia sponte jam imperio illi cessante non est putandum glossam esse postrema verba. Dio hoc solum ad illo dictum: *Quid commoveri? quem occidi?*

## SALMASIUS.

<sup>2</sup> *Ad principatum evocavit.* ] Prima editio: *participatum*. atque ita omnino legendum.

<sup>3</sup> *Senem se & debilem oculis respondens.* ] Dio de hoc Pompejano: *ἔγραψε τότε ἐπὶ τῷ Περτινῶντι καὶ ἐπὶ τῷ ἐγγυατρῷ τῷ Πομπηϊανῶν εἰδὼν αὐτὸν γὰρ τοῖς ἀρχαίοις πλεῖστον διήρθη. Κόμην δὲ διήρθη, τὸ πλεῖστον καὶ τὸ ὀφθαλμῶν νόσημα ἀσθενήματα.*

rat, quod ei cum Augustæ nomine statim sublatum est. Corpus ejus à Severo uxori Manliæ Scantillæ ac filiæ ad sepulturam est redditum, <sup>1</sup> & in proavi monumento translatum, milliario quinto, via Lavicana. Objecta sanè sunt Juliano hæc, quod gulosus fuisset, <sup>2</sup> quod aleator, <sup>3</sup> quod armis gladiatoriiis exercitus esset, <sup>4</sup> eaque omnia senex fecerit quum antea nunquam adolescens his esset vitiis infamatus. Objecta est etiam superbia, quum ille etiam in imperio fuisset humillimus. Fuit autem contra humanissimus ad convivia, benignissimus ad subscriptiones, <sup>5</sup> moderatissimus ad libertatem. <sup>6</sup> Vixit annis quinquaginta sex, mensibus quatuor: imperavit mensibus duobus, diebus quinque. Reprehensum in eo præcipuè, quod eos quos regere autoritate sua debuerat, <sup>6</sup> regendæ reipubl. sibi præsules ipse fecisset.

GRUTERUS.

<sup>1</sup> In proavi monumento. ] Palatinus monumenta, melius.

<sup>2</sup> Quod armis gladiatoriiis exercitus esset. ] Ita & Palat. idemque est cum exercitatus; quamvis minus usitatum.

<sup>3</sup> Ea que omnia senex fecerit, cum antea nunquam adolescens his esset vitiis infamatus. ] Nihil enim videtur inhonestius, quam si bona juventæ senectus flagitiosa oblitteret; ut pluribus didiximus ad Taciti librum vi. Annal. capitis tricesimi secundif.

SALMASIUS.

<sup>1</sup> Et in proavi monumento translatum. ]

Scribe ex Palat. & in proavi monumenta translatum.

<sup>6</sup> Regendæ reip. sibi præsules ipse fecisset. ] Sibi non habet verus editio. ita legendum: Reprensam in eo præcipue, quod eos quos regere sua autoritate debuerat, regendæ reipublicæ præsules ipse fecisset.

CASAU BONUS.

<sup>2</sup> Quod armis gladiatoriiis exercitus esset. ] Melius in Regio, exercitatus.

<sup>4</sup> Moderatissimus ad libertatem. ] Qui moderatissimè ferret, si quis amicorum paullo liberius secum ageret.

<sup>5</sup> Vixit annis quinquaginta sex. ] Dio aliter. sed de anno quo natus Julianus, nobis non constat.